DE INDICATIONE THERAPEUTICA EX CONSTITUTIONE EPIDEMICA ERUENDA...

Giovanni Ferrari

Digitized by Google

5

DE
INDICATIONE THERAPEUTICA
EX CONSTITUTIONE EPIDEMICA
ERUENDA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

ANNUENTIBUS

PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE

SPECTABILI DOMINO DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D.NE BARTHOLOMAEO PANIZZA

Anatomiae humanae P. O.

Ad Medicinae Lauream

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

Mense Junii 1840

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

FERRARI JOANNES

VERONENSIS

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA BIZZONI

1840.

Digitized by Google

Digitized by Google

MATRI OPTIMÆ

DICATA

Digitized by Google

Digitized by Google

DE INDICATIONE THERAPEUTICA EX CONSTITUTIONE EPIDEMICA ERUENDA.

I.

Praecipuus medicinae scopus, morborum curatio est habenda; sed nemo medicorum curationem, cum spe prosperi successus, instituere potest, nisi prius bene perspectum et determinatum habeat adfectum, quem tractare debet; secus enim empiricorum more, non autem per experientiae leges, medicamina adhiberet. Medici graeci, quique illos sequuti sunt ad saeculum usque decimum septimum, morborum species per eorum symptomata, sive formas externas, determinabant; quod etiam a Sydenhamio factum vidimus: verum, susceptis saeculo decimosexto et decimoseptimo cadaverum sectionibus, ad organa morbose adfecta perlustranda, nataque inde, novo veluti medicinae ramo, anatome pathologica, morborum species, potiusquam ab externa eorum forma, a praeternaturalibus organorum mutationibus, in cadaveribus dete-

Digitized by Google

ctis, designabantur. Veteri nempe medicinae symptomatologicae, organica medicina substituebatur, quae adeo prospere, ultimis hisce temporibus, in Italia, Germania et Gallia praeprimis germinavit; et tali pacto, a fugaci, mutabili et farraginosa nimis symptomatica forma ad organa ipsa, a quibus symptomata illa producuntur, gradum fecit, ut medici propius ad principium illud accederent quod morbi abditam naturam continet.

Quod si aliquis quaerat, num organica medicina fructifera fuerit etiam quoad morborum curationem, affirmative procul dubio respondendum erit; quasdam enim formas morborum, a symptomatica medicina tamquam a se invicem distinctas vel etiam oppositae indolis consideratas, organica medicina ad unicam vel paucas species perstrinxit; unde clarior etiam methodus earum curativa evasit: Sed, proh dolor, cum bono, malum etiam germen pullulavit; organica enim medicina, pro eadem morbi specie, eandem curationem adhibendam semper esse, statuit. Quod praeceptum a principio emanat, indolem et naturam morborum, formae eorum organicae semper respondere; ita ut phlogosis, ex. gr., quodcumque viscus occupet, quacumque tempestate et regione observetur, eandem constanter poscat medelam. Verum, ut nil dicam de mutationibus fluidorum et ipsiusmet vitalitatis, quae, non

Digitized by Google

secus ac organicae alterationes, partem morbi constituunt, quaeque proprium in curatione respectum merentur; illius praecepti fallaciam demonstrant sic dictae *Constitutiones epidemicae*, quibus variantibus, et methodus curativa pro morbis iisdem necessario varianda venit. Eadem scilicet febris, vel pleuritis vel alia morbi species quae nunc peculiari cedit methodo therapeuticae, sub alia epidemica constitutione diversam, immo interdum oppositam, exposcit medelam.

Hoc constat e celeberrimorum omnis temporis medicorum observationibus, praecipue ex testimonio perillustrium Sydenhamii et Ramazzini. De morbis acutis epidemicis verba faciens Sydenhamius, haec fatetur. « Pro comperto habeo ex multiplici accuratissimarum observationum fide, praedictas morborum species, ita toto, quod ajunt, caelo differre, ut qua methodo currente anno eegrotos liberaveris, eadem ipsa anno jam ad finem vertente forsitan e medio tollas: quodque ubi semel genuinam medendi rationem, quam haec vel illa febris species sibi vindicat, auspicato inciderim, ad eundem scopum collimans metam quasi semper attingam, respectu ad temperamentum, aetatem et reliqua ejusmodi usque quaque habito, donec, extincta illa specie, novoque gliscente malo, anceps rursum haereo, qua mihi via insistendum, ut aegris subveniam,

Digitized by Google

ac proinde nisi ingenti adhibita cautela, intensisque omnibus animi nervis, vix ac ne vix quidem possum efficere, ne unus aut alter eorum, qui se primi meae curae commiserint, vita periclitetur, donec, investigato jugiter, tandemque perspecto morbi genio, ad eundem perdomandum recto pede et intrepidus denuo procedam.» (*Observ. med. circa morbor. acut. hist. et curat. cap. II.*) Si fides alicui habenda hac de re, certe Sydenhamio qui per amplius quam viginti annos totus fuit in epidemicis constitutionibus observandis et curandis.

Sydenhamii, de varia ejusdem morbi indole pro varia constitutione, observata confirmavit Ramazzinius, morborum epidemicorum diligentissimus observator (*Constit. epid. urb. an.* 1691. §. XIX), qui propriam ignorantiam in morborum hujuscemodi natura apprime determinanda ingenue profitetur. «Ego sane, ait ille, ex quo ad epidemicorum affectuum naturam contemplandam animum adverti, his quae tam confidenter et magnifice proferuntur experientiam respondere non video, et quod me angit, in hac provincia quotannis hospitem me agnosco; licet enim videam quo passim itur, non satis tamen video, quo sit eundum, nisi postquam a via longe aberraverim. Profecto si rem accuratius perpendamus, quilibet annus semper affectus aliquos secum infert, qui epidemiam sapiunt, nec tales pu-

Digitized by Google

tantur, quia aliquando leves sunt, licet propterea epidemicam naturam non exuant. » (*Constit. epidem. an.* 1692, 93, 94 § XII.) Hinc, in morborum curatione, annuam constitutionem semper prae oculis habet, ad quam « tamquam ad versoriam, mentis acies potius convertenda, quam ad decerpendum ex libris generales morborum curationes. (*Const. epid. urb.* § XXII.)

II.

Ut aliquot exemplis, varietatem morborum indolis, juxta constitutiones diversas, ostendam, magis magisque confirmem, et exinde necessitatem mutandi methodum curativam, pro variis constitutionibus, deducam, historiam febris catarrhalis, quae annis 1557 et 1580 epidemice Europam universam pervagavit, paulo fusius exponere optimum putavi; et hoc eo libentius suscepi, quod medicinae scriptores passim hujusce morbi, inter epidemicos frequentissimi, historiam negligere solent.

Epidemiam febris catarrhalis anni 1557 descripserunt Valleriola, Avenionensis medicus et professor Taurinensis, denatus anno 1580, et Anonymus quidam, cujus observationes Riverii operibus insertae leguntur. Juxta Valleriolam, haec febris per universam

Digitized by Google

Galliam populariter viguit tanto impetu, ut de repente et sanos alioquin homines corriperet. Symptomata hujus febris catarrhalis sequentia erant. Gravis capitis dolor, respirandi angustia, ac vocis raucitas initio aegros praehendebant; mox horror, febris et tussis adeo valida, ut in praefocationis periculum plerique adducerentur. Primis diebus tussis sicca atque vehemens sine excreatu; post septimum aut decimumquartum, excreatus multus, viscidus, lentus, nonnullis tenuis et spumosus. Procedente autem sputo, tussis et spirandi difficultas plurimum remittebantur. Verum in omni morbi progressu lassitudo corporis, virium dejectio, inappetentia multa, et a cibis aversatio aegros vexabant; inquietudo, languor, vigilia ob validam tussim vehementer premebant, nonnullis alvi fluor sub finem, aliis sudores manabant. In universum vero cujusvis aetatis, sexus, victus rationis homines, eodem morbo, eodemque anni tempore corripiebantur, moxque uno in una quapiam familia correpto, in universam domum febris catarrhalis obrepebat. At etsi plurimum diuque etiam afficerentur qui laborabant, nemo tamen mortem obibat, praeter infantes. Curationis vis, testante Valleriola, neque in sanguinis missione, neque in purgatione consistere videbantur; nihil enim hisce remediis, aut parum proficiebatur: immo, quibus haec remedia impe-

Digitized by Google

rabantur, deterius plane habere visi sunt. Morbus sanabatur eclegmatis, potionibus pectoralibus et pastillis in os detentis ad tussim sedandam. »Morbum hunc vulgus *la coculuche* vocabat, quod qui eo morbo tenebantur, cucullione caput velarent. Arbitrabantur enim a cerebro in pulmonem fluxionem irrumpere, caputque cucullo tegentes, putabant se sic melius habituros. E plebe profecto qui contingebantur, omnes fere cucullo secundum caput amicti visebantur. Unde id nominis vulgo inditum morbo fuisse, non vana conjectura est« (Valleriola. *Appendix ad tres superior. locor. commun. medic. lib.* In—8.° 1589., p. 82.).

In hac Valleriolae descriptione, morbi levitas, diuturnitas et inefficacia, quin potius damnum venaesectionis et purgantium, notari merentur. Praeterea animadversione dipna quoque sunt terminatio ejus per diarrhoeam, repentina invasio, rapidissima ab uno ad alios homines diffusio, et benignitas summa ut nemo, praeter infantes, mortem obiret.

Eosdem characteres minime habuit eadem febris, in urbe Nemausii (Nimes), mense Julio ejusdem anni 1557. In hac enim urbe, ut narrat anonymus Riverii, morbus epidemicus adeo immanis et truculentus fuit ut quamplurimos de medio tolleret, quosdam quarto

Digitized by Google

to die, alios septimo, ad summum decimoquarto. Morbus hujusmodi aegros tussi cum faucium asperitate, inflammatione ferventi et febri continua corripiebat; dolor capitis vehemens aegros affligebat, nec prae tussi cuiquam somnum capere fas erat: ad haec accedebat renum et lumborum dolor assiduus et eximius, qui paucos admodum progredi sinebat: coryza perpetua vix aerem per aures inspirare permittebat. »Caeterum, qui tantam (ut ita loquar) pestem evadebant, facta sanguinis missione et medicamentis expectorantibus exhibitis, sudore foetido superveniente, constantibusque viribus e toto corpore manante, liberabantur. Qui vero febre et inedia consumpti (cum vix durare possent) invalidi reddebantur, omnes ad interitum vergebant. Quare in eo cardo curationis versabatur, ut adhibitis sine mora universalibus remediis (quanquam leni tantum purgatione egerent) appetentia revocaretur, et fauces cibis fierent perviae: ad purgationem sufficiebant manna, cassia fistula, rhabarbarum cum decocto bechii et aliorum pectoralium. Vehementiora tamquam acuti scopuli vitanda erant« (Laz. Riverii. *Opp. med. univ.* In-fol. Venet. 1683; p. 576) Etiam hic auctor, vulgum eam febrem *coqueluche* appellavisse testatur.

Ex hac Anonymi descriptione morbum, in urbe Nemausii non adeo benignum, uti in

Digitized by Google

aliis Galliae regionibus, fuisse apparet, nam quamplurimos e medio tollebat. Nemo, quod sciam, medicorum italorum de epidemia febris catarrhalis anni 1557 aliquid ex professo scripsit.

III.

Epidemia anni 1580 variam, pro diversis regionibus, praebuit indolem. Illam in Italia observaverunt *Marcellus Donatus*, *Jul. Ces. Claudinus*, celeberrimus suo tempore bononiensis professor, et *Petrus Salius Diversus*, Faventinus, optimus de morbis cardiacis et febribus pestilentialibus scriptor.

Juxta *P. Salii Diversi* narrationem, febris catarrhalis illius anni per universam Europam et ad exteras usque regiones vagavit. Morbus accedebat cum febre in quibusdam valida, in aliis levi, cum capitis gravedine: superveniebat distillatio admodum molesta, quae in thoracem decumbebat, ut medicus faventinus loquitur: hinc oriebatur tussis vehemens, ex qua in principio excreabant aegri tenuem et crudum mucum. Sitis ut plurimum pauca vel nulla erat, inappetentia magna, et gustatus fere abolitio vel saltem depravatio concomitabatur, quae, cessante etiam febre, per multos dies in pluribus perseverabat, ut vix nonnulli ad pristinum statum re-

Digitized by Google

dirent: notabilis lassitudo et corporis imbecillitas quiescente febre subsequebatur. Febris ut plurimum in quarta, et ante quartam terminabat, sed tussis in multis per plures et plures dies superdurabat. Febris haec catarrhalis ut plurimum salubris erat; aegri enim omnes sanitatem recuperabant, praeter valetudinarios, debiles, senes, vel qui angusto essent thorace et morbis catarrhalibus obnoxii, vel infirmos, vel eos qui pravo utebantur victu quique in aegritudine ipsa usi sunt indiscriminatim et sine ratione vivere. »Hujusmodi aegritudines, observat *Salius Diversus*, non ex alia ortae sunt causa, quam ex quadam levi aeris corruptione.... Tantaque fuit hujus corruptionis in agendo efficacia, ut vix invenire queas qui ab iis morbis fuerit immunis: omnes enim pariter et aetates, et sexus et quascumque hominum conditiones aggressa est; quae sicuti in actione efficax fuit, si pariter in pravitate fuisset intensa, hincque non levis, sed valida et ingens fuisset corruptio, in internecionem fere omnium hominum desiisset, ita ut nulla clades, nulla hominum ruina, nullum etiam humani generis flagellum, quorum meminerint historiae huic aequiparari potuisset. Quoniam autem non prava, nec ingens, sed levis fuit haec corruptio, ideo tantum epidemios, non pestilentes protulit morbos«. Et paulo post, ut

Digitized by Google

comprobaret morbum, non ab exhalationibus pravis aliunde susceptis, sed a sola aeris in propria substantia corruptione, contigisse, sequentia addit. »Haec epidemia a partibus occidentalibus ultima hyeme incipiens, et motum habens orientem versus, continueque a regione in regionem propinquam transmigrans, nec ineunte vere, nec eo procedente, nec etiam adventante aestate, imo nec sub cane, nec etiam subsequente autumno unquam a proprio motu cessavit; quinimo [et tempore frigidiori et calidiori, et flante tum Austro, quum Borea, et pluvioso et sereno caelo peragravit hasce omnes Europae regiones, et omnia indiscriminatim loca, sive sint sublimia et montuosa, sive infima et paludosa, sive media, et tam quae respiciunt orientem, quam quae occasum, seu alium caeli situm«. Alia porro observatione utitur ad propriam sententiam, de aeris corruptione, corroborandam. »Aves illae quae exteras terras statis temporibus adire solent, hac aeris pravitate incitatae, has nostras partes fugientes, ad alias regiones ante tempus evolarunt, et quae super arbores nidificant et dormiunt, super ipsam terram et in locis infimis, altiora caventes, nocte degebant: bruta autem animantia, quae ex herbarum et arborum germinibus ac foliis victitant, eadem aversabantur«. (P. Salii Diversi. *De febre pestil. tract.* In-8. Francof. 1585, p. 60 et seq.)

Digitized by Google

Qui elegantissimam hanc *Salii* descriptionem, febris catarrhalis anni 1580, cum descriptionibus ejusdem febris recentioribus comparat, facile perspicit morbum a *Salio Diverso* observatum identicum esse cum catarrho epidemico annorum 1782 (sub *Russae tussis* nomine noto) 1830 et 1837. Praeterea, respectu etiam benignitatis, illa epidemia recentioribus Italiae epidemiis aequiparanda venit.

Ticini, illa epidemia benignissima fuit, ipsamque descripsit, rudis utique, sed ingenuus chronista *Spelta*. Vulgus morbum appellabat *Mal di montone, Castrone, Mettone*; Ticinenses autem, *mal gallantino*, »perchè, ut notat citatus *Spelta*, era assai agevole a guarire con alquanto di dieta, cavandosi un poco di sangue dalla vena ordinaria, di modo che l' infermo in meno di otto giorni ricuperava la sanità« (*Hist. di A. M. Spelta*. In-4. Pavia 1597; p. 504 et 506).

Sed non in omnibus Italiae regionibus haec epidemia adeo benigna fuit, quemadmodum a *Salio Diverso* et a *Spelta* describitur. *Claudinus* enim, de ea verba faciens, illam sub autumni initio invaluisse tradit, »cum symptomatibus adeo vehementibus, ut majorem partem hominum sustulerit; et plerique quibus vel missus sanguis fuerat, vel purgans datum, perierint« (V. *Rosa. De Epidem. et Contagios.* In-8. 1782, p. 231).

Digitized by Google

Etiam Perusiae, ditionis Romanae olim urbis, epidemia anni 1580 immaniter adeo saeviit, ut quidam eam *magnam pestem* vocaverint. Hanc epidemiam Perusinam, a Doct. Massari, descriptam habemus sequentibus verbis.

« Nel 1580 sedeva in Vaticano Gregorio XIII, Pontefice veramente massimo. Già di Francia era tornata ad infestare le terre d'Italia la malattia detta del *Castrone* o del *Montone*, con febbre gagliarda e con tosse; per la quale di cento infermi, quattro appena se ne salvarono. Dodici mila persone ne furono colpite fino al giugno nella sola Ferrara; moltissime ne perirono sul luglio in Venezia; più di quaranta mila ne furono colte in Milano. A molti, dicono più scrittori nostri contemporanei... toglieva le forze e sbatteva e percoteva in modo la vita che non potendo sopportare il male, si lasciavano persuadere da medici ignoranti di farsi trarre sangue per la vena. Questa cosa era tanto contraria che quasi subito se ne morivano: alcuni si trassero sangue per le coppe e fu cosa alquanto più sicura. Non più duravano a vivere che quattro in sei giorni. La miglior cosa era starsene in buona vita, con un poco di dieta; bevere parcamente il vino, nè si fare trarre sangue.... Si doleva poi molto il nostro povero cronista (Sozi) del dispiacente

Digitized by Google

e nojoso costume di sentire a tutte le ore suonare le campane a morte. — « I medici, prosegue egli, riportavano le borse piene d'argento, mentre morivano dentro la città ben quattrocento tra uomini e donne in quei giorni, e non si trovò nell'ultimo ceto persona per far seppellire tanta gran quantità di creature. Lo chiamavano *mal del bazzuccolo*, altri del *mazzacollo* ... Tutti (segue il Sozj) stavano male di questa peste che non si vide mai più spaventevole cosa e causava molto spavento. » — Sembra però che per breve tempo infierisse in Perugia, imperocchè al venir dell' autunno non più si parlò di questo male, nè più si temette. » (Massari. *Saggio stor. med. sulle Pestilenze di Perugia.* In-8. Perugia 1838 p. 79.)

Licet perusinis chronistis minime fidendum sit, quum tradunt tam magnam in illa epidemia fuisse mortalitatem ut ex centum aegrotantibus, vix quatuor evaserint; attamen ex illorum narratione fas erit concludere mortiferam praeter morem fuisse febrem catarrhalem anni 1580 per ditionem romanam saevientem. Quod facile credimus, cum alia adsint exempla quae febrem catarrhalem perniciosissimam humanae vitae ostendunt. Plurimi ea mortui sunt anno 1387, in Etruria, teste Buoninsegni. In epidemia anni 1400, ex Veronensibus tertia pars periit. Pestilentialem

Digitized by Google

veronensem epidemiam anni 1510 historici appellant. In epidemia Romana anni 1580, plus quam bis mille aegrorum peribant, dum e contra in Germania, eadem saeviente epidemia, vix millesimus quisque moriebatur. (Zeviani: *sul Catarro epidemico*. In-4. Modena 1804, p. 25.) Praeterea nostro etiam hoc aevo febris catarrhalis indolem malignam adipisci visa est, et veronensis medicus Zeviani, frequentissime hunc morbum indolis malignae Veronae observari, tradit; cumque hac ratione et sub hac forma morbus invadit, veronenses *Mazzucco* appellant. (Zeviani op. cit. p. 41.)

IV.

Quae huc usque relata sunt circa historiam febris catarrhalis epidemicae, ostendunt, ni fallor, uno iidemque morbo, pro temporum et regionum diversitate, variam inesse posse naturam. Exinde etiam sequitur, methodum curativam variam quoque, pro temporum, et regionum diversitate, usurpandam esse. Et re quidem vera, vidimus in epidemia anni 1580 quae urbem Perusiae infestavit et per alios Romanae ditionis locos saeviit, curationem per venaesectiones et purgationem, damnosam fuisse; dum utilem deprehendebant eandem methodum Anonymus Riverii et Ticinenses.

Digitized by Google

Quod passim in plerisque aliis epidemiis febris catarrhalis contigisse, legimus. Ita, in epidemia anni 1510 morbus lethalis fuit iis qui medicamentis purgantibus, aut venae sectione utebantur. In epidemia an. 1580, experientia comprobavit, uti Sennertus narrat, omnes fere mortuos esse quibus vena aperiebatur. In ejusdem anni epidemia quae per Hispaniam vagata est, notat Crato: « eventus hic ostendit graviter illos periclitatos, et litteris ex Hispania missis perscriptum est supra duo millia hominum, quibus in unica urbe Mantua Carpentaria, ubi regia est, sanguis fuit detractus intra paucos dies obiisse. » Quae quidem res, licet presso nimis pede et rudi sermone expositae, sufficientes mihi videntur ad sententiam superius expositam, de indicatione ex constitutione epidemica eruenda, conprobandam. Concludamus itaque cum praeclariss. Zecchinelli: « lo studio delle malattie e degli uomini in massa chiaramente insegna che il giovamento che osservasi recare rimedii differenti nella medesima malattia, tanto può essere indizio ch' essi abbiano proprietà eguali, quanto che la stessa malattia possa vincersi con rimedii diversi. » (*Ricerche sugli influenti le malattie popolari.*)

FINIS.

Digitized by Google

THESES DEFENDENDAE.

1. *Ludos aequipondii caeteris, in gymnastica puerorum educatione, praestare.*

2. *Richerand in variis corporis motibus explicandis plus minusve erravisse.*

3. *Ideam virium proprii corporis non, nisi per sensus externos, habemus.*

4. *Vocabula composita ex uno graeco alteroque latino non omnes in medicina rejicienda.*

5. *Lento gressu medicinam incedere.*

6. *Inter experientiam et ratiocinium discrimen essentiale nullum.*

7. *Aegri vitam interdum magis ex dolore, morbi sobole, quam ex morbo ipso periclitari.*

8. *Febrium intermittentium miasma debilitando agere.*

93 838868

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google